Univ. Jagell.
Philos.

1733 d. 18 Aprilis. Poczya 2931.

Gelhorn Andreae Jos: Anadema virtutis eruditae denodiis VII VV. DD. primae laureae Candidatorum pretiosum.

ANADEMA
Virtutis Eruditæ Clenodijs,
VII. V.V. D.D. Primæ Laureæ Candidatorum,
PRETIOSUM:
Dùm
In Alma Universitate Cracoviensi
Ab
ILLUSTRI CLARISSIMO & ADMODUM REVERENDO DOMINO.
D. M. VALENTINO WICHROWSKI,
Phiæ: DOCTORE ejusdemq Regio PROFESSORE, Collega Majore Ecclesiarum, Collegiatæ S. ANNÆ ARCHIDIACONO Parochialis Sulicovicensis CURATO.
In Frequentissima Nobilissimorum Hospitum CORONA.
Artium & Philosophiæ Baccalaurei ritu Solenni renuntiarentur.
Per
ANDREAM JOSEPHUM GELHORN,
Ejusdem Laureæ Candidatum
In vim Fraterni affectus & gratulatorij applausus
PRÆSENTATUM.
Annô Domini 1733. Die verò 18. Mensis Aprilis.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.



B. IOANNES CANTIUS Polonus, SS. Thiæ in Vniversitate Cracoviensi Doctor, et Professor, Presbyter Secularis, Miraculis Clarus.

A. Freind sculp: Olo

Si quis perfectæ virtutis ſchemma videre,
Et concentratæ vult probitatis opus,
Virtutis collecta Sacræ compendia, clarè
Schemmate demonſtrat CANTIUS ipſe ſuo.

CLENODIO
Virtutum
INÆSTIMABILI
D. JOANNI
CANTIO,

Almæ Universitatis Cracoviensis PATRIARCHÆ,
Regni Poloniarum Singularissimo PATRONO.

Totum Anadema.

In perenne venerationis Anathema appenditur cum epigraphe

Nil sine Te pretiosus honor.

O Pater Sacrô residens Olympô,
Qui datus Regno Lechiæ PATRONVS,
Qui Jagellonis moderaris Aulam.
Inclyte CANTI,
Cordium verbis querulamur, audi,
Ad preces adsis PATRIARCHA nostras,
Dum damus voto Tibi pro perenni
Hoc anadema.

Gratiæ nomen retines & imples,
48 Es petitorum dator & favorum,
Gratîjs promptè repetita rursum,
Vota coronas.
Sint Tui Sacri cineres, in Almo.
Gratiæ Templo posisti, pro teste,
Sit Tibi testis populus, sit omnis
Turba Clientum.
Quæ recens, á Te benefacta, spargit
Fama, longævis memoranda sæclîs
Illa spem nostris (Pater o stupende)
Ausibus addit.
Ergo devotis Anadema votis
Jungimus nostris animis repostûm,
Absq; Te nobis decus omne, nullum,
Magne Patrone.
Hæ Tuo Laurus vireant favore
Ex Tuo, nostri lapides, nitore
Luceant, nobis satis in decore
CANTIUS adsit.
Fama cum plausu Tibi cedat omnis,
Hoc modo nobis tribuas benignus,
Primus ut noster benedictus á Te
Sit gradus iste.
Sit coronatæ novus iste frontis
Flos, Tuis sacris pedibus corona,
Nexus hic nostri meliora cordis
Munera spondet.
Iam

Jam Poli Sacra Pater aureolâ
Es decoratus, tamen hoc precamur,
Ut Tibi ſplendens Anadema noſtrum
Victima fiat.

Illuſtribus Clariſsimis & Admodùm Reverendis Dominis

D. EXAMINATORIBUS,

Illuſtri Clariſsimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. ADALBERTO GOSZKOWSKI, Philoſophiæ DOCTORI & PROFESSORI Collegæ Majori Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ CANONICO ac interea Philoſophicæ facultatis DECANO.

Illuſtri Clariſsimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. VALENTINO WICHROWSKI, Philoſophiæ Doctori & Profeſſori, Collegæ Majori, Eccleſiarum & Collegiatæ Sanctæ ANNÆ ARCHIDIACONO Parochialis Sulicovicenſis CURATO.

Illuſtri Clariſsimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. FLORIANO LACHOWICZ, Philoſophiæ Doctori & Profeſſori Collegæ Majori Vocato Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ Canonico Contubernij Regio Jagelloniani SENIORI.

Certaminis eruditi Doctiſsimis Præſidibus in vim debitæ

Venerationis & gratitudinis
Pretium Anadematis dedicatur,
Cum Lemmate.
Veſtrûm ſit quodcunq; dediſtis.

 Amnes

AMnes ut omnes ad mare confluunt,
Sicut refertur flammigerum jubar
Ad hunc, à quo refulsit, Solem,
Vtq; suum petit unda fontem;
Sic nostra Vobis munera reddimus,
Redundat in vos integra gloria;
Valor, quem virtuti dedistis,
Sponte sua petit esse vester.
Vos mente docta Phæbea lumina,
Fecistis, ut sit splendidior dies
Honoris nostri, tum coronæ,
Sit pretium, redit illud ad vos.
Primus colendus GOSZKOWIUS venit,
Re, tum venusto nomine floridus
Quem docta mens beat, quem virtus
Condecorat veneranda cunctis.
Hic mentium lux, Hic Sapientiæ
Compendiatîs pulchra decoribûs,
Est norma viva nominandus,
Hic meritîs pretiosus amplîs.
Tot oris Ejus lilia candida,
Quot verba, vel quot sensibus inclytis
Sunt rostra publica exornata
Publica tot documenta laudis.
Infractus Atlas pondera grandia
Suffert laborum, svaviter omnia
Disponit, ut sudoris guttæ,
In nitidas adolescant gemmas.
Decanalis hunc purpura Principem
Ornans, ab illo splendidior manet,
Quam gessit, ut Sophorum Princeps
Arte novus coleretur esse.

De Te VALENTI quid loqvar Inclyte?
Qui laudis omnes vincis adoreas,
Encomium quodvis excedens,
Et ſuperas meritis Honores.
Tu dote felix ingenij Tui
Cauſas ſtuporem Te venerantibus,
Patrum Tu corda, Tu Magnatum
Vnus habes recreas trahisq;.
Lingvâ potens es, quæq; negotia
Solerte cura perficis optimè
Per hoc videris ac es certè
Delicium populi Togati.
Tu verba fundis miſta favoribus,
Tu corda factîs ac animos rapis,
Virum facis Te laude dignum,
Vivis, honor tibi vivus ipſe.
Quid mente condas, hoc vides & ſtupet,
Hoc narrat, effert publica gloria,
Dum conſpicit coronantem nos
Sicq; ſuum notat umbra Solem.
His FLORIANVS ſe ſociat viris,
Et Ille Magnus Tullius & Sophus,
Gravis, dexter, prudens, acutus
Eloquio meliore clarus.
Ex ore docto purpureas roſas
Diffundit, omnes mentis acinace
Nodos reſolvit, in Lycæis
Hic Macedo generoſus, doctis.
Quod Principum ſit delicium, ſatis
Clarum ſit, AGNO teſte IVNOSSIO
Quod affectus Patrum triumphet
Hoc meruit probitas probata,
Tantos, Clientes, Vos colimus viros,
Quantos coli vult mens Academica,

Vestrosq; pensando labores,
Vota damus referendo grates.
Vos sospites diû vivite, vivite,
Faustisq; sæclîs Nestora vincite,
Sitis pleni favore Cæli,
Et sit Honor decus omne Vobis,

ANADEMA
VII. VV. Primæ Laureæ Candidatorum
PRETIOSUM
II. V. D. FRANCISCO ZAWADZKI,
Achates Indicus, qui in igne positus odorem emittit;
Cum Lemmate.
Dum flagrat fragrat.

NOn paradoxa loquor mundo factura stuporem,
Non refero dubios quôs dant oracula sensus,
Certius hoc Tripodis dictô jam dogma tenendum,
Cujus plana fides ac experientia testis,
Virtutem quamvis semper crevisse labore
Cuî sociata suæ famæ svavem dat odorem,
Ceû ignis labor est, virtus pretiosus Achates,
Svavius ut fragret sit flagrans igne laboris.
Hac methodo pretium propriæ monstras probitatis,
Huîc igni socians magnæ virtutis Achatem.
Quid mirum quod tanta tuæ fragrantia famæ,
Spargitur, & cunctos svavi delectat odore,
Innatus Tibi crede labor virtusq; probata
Augmentum meriti fecit, facietq; decorem
Vere novo Tibi fert Academus laurea serta,
Æstu namq; Tui citò maturata laboris,

Venit & in prima renitescit fronte coronæ.
Accedas pretium pretio, studiumq; labori,
Et spargas gratum proprie probitatis odorem,
Spondeo majori fies decorandus Honore.

III. V. D. DANJELI PUCHALSKI.

Jaspis mira colorum varietate refulgens

Cum Lemmate.

Unus multicolor.

Hæc dos virtutis nullò delebilis ævô,
Quôd virtus nunquam sola manere potest
Iungitur hæc alijs, aliæ sociantur eidem,
Si non est alijs consociata, perit.
Vt fiat torques non unus circulus adsit,
Et debet radios Phæbus habere suos.
Constituunt Cytharam plures non unica chorda.
Sic quod si virtus unica, nulla manet.
Sic fecit virtus quæ te pro sede poposcit,
Quam monstras plures associasse sibi.
Vt vario Iaspis vult resplendere colore
Te virtus etiam sic variata decet.
Hinc pingit roseũ Tibi pulchra modestia vultũ
Quæ miro morum septa colore nitet.
Hanc animi decus, ecce Tui comitatur amænũ,
Quod pulchro dono Pallas amica dedit.
Doctrinam solidam generosâ mente recondis,
Quam pietate, sagax, appretiare soles.
Te cunctis humilis submissio præbet amandum
Dignum laude virum lingva diserta probat.

Istas virtutes dum primo munere donat.
Postea plura Tibi Pallas amica dabit.

IV. V. D. JOANNI IZICKI,

Saphirus cor confortans & recreans Cum Lemmate

Fert gaudia colori.

NOn sic astra suum condecorant Polum
Et Phæbum radij non ita splendidè
Illustrant, & humum non ita flosculi
Hortorum, irridi germine vestiunt
Gemmîs non ita sit Dives Erythreum,
Et Pomona suîs non ita fructibûs
Felix ut probitas splendet honoribûs.
Vt virtute nihil crede decentiùs,
Sic virtutis honor nil sibi par habet.
Sic cuncto pretiô gloria clarior
Hæc fortuna Tibi contigit optima
Quod virtute capis laurigerum decus
Quod sculptum nitidus Saphirus exhibet
Splendescens lapis hic correcreat tuum
Virtuti meritæ præmia conferens
Doctis est tua mens apta laboribus,
Ornatum studijs ingenium bonis
Clarescens probitas moribûs inclytîs,
His, quæ conspicuum facta decent virum
Exornata patet, præmia fert nova.
Quàm dum Palladij, laurea contegit
Post, magnis precor ut penset honoribus.

V. V. D.

V. V. D MARTINO MICHONSKI,

Corallium extra aquas evulſum pulchritudinem & fortitudinem acquirens

Cum Lemmate.

Pulchriùs & fortiùs extra.

QVid proſit magnæ virtuti publica fama
Ingenijsq; bonis,
Quid cauſare poteſt generoſis cordibus, & quid
Mentibus ingenuis,
Sæcula monſtrarunt, & noſtri temporis ævum
Dat documenta nova,
Nitimur hùc omnes cernat nos publicus ut Sol
Et probitate magis.
Nitimur, & verè ſic publica gloria noſtræ
Cos probitatis adeſt.
Dotib9 ex magnis quas Tu MARTINE remõſtras
Hoc pretium retines.
Quod quamvis lateas animi ſub nube modeſti,
Splendidiùs renites.
Exit in apricum quodcunq; reconditur in Te
Vt magis eniteat.
Nil vitioſum in Te; mundi famæq; pupillâ
Quod videatur habes.
Sic ſpectata magis creſcant benefacta, Togato
Orbe colenda precor.

 VI. V.D. LAURENTIO
BARTOSZOWSKI.

Topazius Clarissimos radios in omnem partem diffundens

Cum Lemmate.

Iubar undiq; spargit.

NOn est ille locus quem sapientia,
Non illustret, ab hac splēdidius jubar
In totum cadit Orbem,
Noctes umbriferas fugans.
Vt sol illa Poli fulget, & in dies.
Transformat tenebras, dùm geniū facit
Docta luce nitere,
Dando lumen amænius.
Hac LAVRENTIVS es sorte beatior,
Quòd pulchrè renites luce scientiæ,
Quàm fax mentis honestæ
Auget publica gloria.
Hinc quocunq; Tuo progrederis gradu,
Tecum semper adest ingenij nitor
Accendendo serenum
Pulchra laude meridiem.
Ortus crede novus, quô radiat Tuus
Doctus Palladia fronde virens honor
Es prænuntius alti
Ascensus tibi quem precor.

VI. V.D. CHRISTOPHORO
RĘCZYNSKI,

Hyacinthus Cælo per suum colorem consimilis

Cum

Fulget Imagine Cœli.
Huic fortuna faventior.

QVæ vincens alios pæana concinit,
Vinctas victa dabit manus;
In cujus pietas pectore considet.
Hic Cælo similis manet,
Quod non Marte ruit, fulmina non timet
Nec ad fulgura palpitat.
CHRISTOPHORE per hoc est animus tuus
Verè consimilis Polo.
Quæso commemores, quandò sereniùs
Læto pectore gestias;
Quàm dum consonus es complacito DEI,
Mundo namq; fidem negas.
Se fortuna Tibi jungit & aspera
Quævis mente tua fugat.
Hinc in Te probitas firmior extitit
Hac dum nititur in basi.
Hinc prudentia te cum sapientia
Ambit, monstrat & omnibus
Quis sis, laurea dum te redimit nova
Dicens: vivat honoribus.

I.V.D. ANDREÆ JOSEPHO
G E L H O R N,
PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATO
AUTHORI OPERIS.

V. LAURENTIUS BARTOSZOWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus.

In vim mutui affectus & gratulatorij applausus.

Adamantem auro insertum offert.

Cum Lemmate.

In auro nitidior.

ERgo sint ducibus munerá cæteris
In magno pretio quæ Geticus dedit
Mars, torvam galeam tum gladium ferens
Quem pingit cruor hostium.
Noster Dux! Tibi sit gloria maxima
Ex hoc laurigero munere, quod tenes
Et quod fronte Tua promerita geris
Primus victor in ordine.
Examen rigidum primus ad ardua
Promptus suscipiens, ingeniô potens
Dignus laude sua serta laboribûs
Fecisti tibi debita
Corpus mente, sagax, exsuperas Tuum
Maturoq; valens elovqiô, potes
Dici non tumido nomine Tullius
Ac in Peripato Sophus.

Hinc dum laurigero nos Anademate
Ornas, quod nitidus condecorat lapis,
Splendens ergo tuis dotibus optimis
A nobis adamas datur.
Eſt virtus adamas, ſed ſapientia
Aurum, tu ſocians fauſtus utrumlibet
Docta laurigeræ Palladis in Domo
Opto ſplendidus emica.

Permiſſu Magnifici Domini
RECTORIS.